



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

SS. Firmvs & Rvsticvs MM. 9. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

quid ager, quem colebat, dives dedisset; in fures etiam liberalis. Nam fortè ex his XII. in horreum se penetraverant MYRONIS. Ibi cum saccos frumento, scelere animum onerassent, iniecit Deus furacibus manibus arcana vincula, crevitque intantum facinoris pondus, ut ne humo jam tollere onus possent. Intervenit interea MYRO, & cum illi trepidi alia vincula sperarent, illis missionem dedit, & tergo improborum non, quod meruerant, patibulum, sed saccos, de quibus diximus, bene fartos suâ manu imposuit, emisitque gravi supplicio nactatos. Interea nihil decessit de MYRONIS opibus, quas ille scilicet eo loco, ad quem fures non adrepunt, caelo recondebat. Sub hæc virtus sacerdotio, mox Episcopatu & miraculis est honorata. Nam & per medium fluvium Tritonem viam sibi fecit, & misso post, pro suo in illum imperio, scipione, coire iterum Moyses nosse iussit. Sed & Herculem in illo agnovisses, cum ingens monstrum draconem clavâ, hoc est, oratione dejecit. Exinde reliquam vitam transegit tumulis Divorum exornandis, dum centenarius eundem honorem etiam ipse meruit. *Ex Menais.*

*Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit: videbit diem malum, qui diem iudicii sine advocacy paupertatis intravit: sine causa accusant peccata, quem pauper accusat. Excusari non potest, quem fames pauperis accusavit.*  
S. Pet. Chrysol. serm. 14.

SS. FIRMVS & RVSTICVS MM.

9. Augusti.

Occiarunt & pugnas & triumphos FIRMVS & RVSTICVS, ipsamque, aded, quod vitio aliis datur, patriam Veronam triumpharunt. Verberibus

R 2

bus



bus hæc primò pugnavit, sed illi gloriosum ducebant patriæ plagas ostentare acceptas à patriâ. Iam in carcerem cùm descenderent, Capitolium videbantur petere. In carcere cùm cibum victoribus Tyrannus victus negaret, triumphales epulas Angeli pararunt. Ad has in testarum fragminibus velut in rosis suaviter illi accubabant. Fame sic pulsâ sanguinem satiebant fundere. Et verò gladio cæsi hunc quoque libarunt. Porrò funus urtutis Cælitæ curarunt mercatorum os habitumque induti, & nobiles merces (ossa Divorum) non procul Carthagine deposuerunt. Horum pretium indicavit genius malus ex alieno ore locutus, presentiaque horum mirè discruciat. Itaque in Istriam translata corpora. Sed & Istri tanti hæc æstimarunt, ut expetenti Veronæ (cui imbrem celum tam diu negaturum se dixerat, dum in urbem Divi exules revocarentur) non aliter vendere voluerint, quàm aureo tanto appenso, quantum corpora penderent. Sed faverunt patriæ potius licet ingratae Martyres, cumque ad libellam examinarentur, tam leves se præstiterunt, ut ex corrogato auro triens sufficeret. At verò tunc primùm magni ponderis apud patriam fuerunt. Ex Mombrit. *Ch. Pet. de Natal.*

*Homo, quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse de calis? ergo caelestem vitam monstra in habitatione terrenâ; quia si quid in gesserit terrena cogitatio, calo maculam, caelestis generi injuriam intulisti. S. Pet. Chryf. serm. 71.*

S. LAVRENTIVS M. 10. Augusti.

**D**icebatur ad mortem Sixtus Pont. Max. *Ch. Pet. de Natal.*  
 ecce LAVRENTIVS expostulare cum hæc